

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

1. Nolite iudicare, & non iudicabimini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

IN MATTHÆI CAP. 7.

I. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

VV M hæc Christi verba, de Dei iudicio, iuxta omnium Patrum & totius ha-
cenus Ecclesiæ iudicium intelligi de-
beant, superbus Caluinus reiecto exprefſe Pa-
trum iudicio, hæc verba ſic exponit. *Quod Chryfo-*
ſtومus & alij quidam (ſunt autem omnes ad unum in
hunc locum interpretes Hilarius, Hieronymus,
Augustinus lib. 2. de ſerm. Domini, Euthy-
mius, Theophylactus, & cæteri) ad futuram vitam
iſta reſtringunt, coaſtum eſt. *Quemadmodum enim minatur*
Eſaias præde futuros qui alios prædati fuerint, ita intelli-
git Christus non deferre vindices qui homines iniquos &
maledicos simili virulentia & rigore puniant. Atqui pro
constanti Patrum hoc loco doctrina reponde,
nec de virulentis & maledicis Christū hic loqui,
ſed tantummodo de iudicio temerario vel uſur-
pato vel maleuolo, quod totum absque maledi-
centia & virulentia externa ſolo animo exerceri
potest, ſolēque frequentius; nec hæc iniqua iudi-
cia ab hominibus puniri ſolere, quum aut vix ho-
minibus innotefcant ſolo animo inclusa, vel ſi in-
notescat, puniri ſemper aut nō poſſut mali, quia
deeft facultas pari pari reddendi; aut certè non de-
bent pīj, quia iubentur à Christo non rēfīſtere malo
ſed vincere in bono malum. Iuxta Caluinum ergo hoc
loco Christus doctrinam trāderet aut plāne hu-
manam atque vulgarem, docens quid impīj ho-
mines facere ſolent ſeipſos vindicando; aut Chri-
ſtianæ charitatis p̄ceptis contrariam, docens
ſuos

SS. Patrū
expositio
defendit
tur.

Caluinī
expositio
aut pro-
fana aut
impia.

suos ut homines maledicos atque iniquos simili virulentia ac rigore puniant. Quorum hoc à nullo pietatis magistro doceri debet, illud Christo cœlesti magistro penitus indignum est. Locus ex Esaias prolatus nihil ad rhombum facit, nisi hoc valeat argumentum: Deus aliquando minatur pœnam temporalē impijs, ergo hoc in loco non loquitur de pœna futuris seculi. Sed unus Paulus docere Calvinū debuit, quo sensu Christus dixerit, *Nolite iudicare, & non iudicabuntini.* Ille enim de hoc temerario & usurpato ac etiam maleuolo iudicio disputans, ait. *Mibi pro minimo est ut à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, &c.* Prohibet omnne humanum iudiciū, quia expectandum est diuinum, manifeste docens, eos qui hic temere iudicant, à Deo rigide iudicandos: iuxta illud Iacobi. *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam, id est, qui fratres suos iniquè iudicavit.* His accedit, quod iniqui aliorum iudices in hac vita ab alijs non semper, imò rarissime iudicantur. Dei ergo iudiciū tales subibunt. Hoc ita euidens est, ut ipse Calvinus dissimulare non potuerit. Quare subiungit. *Quod si cessabunt homines, ut pœnam effugiant in mundo, qui damnandis fratribus nimis intenti fuerunt, non tamen effugient iudicium Dei.* Hæc ille. Quare igitur Chrysostomum & alios Patres, qui ad Dei iudicium in altera vita ista restringunt, de sensu coacto coarguit, nisi quod petulans hæreticus & veteres Patres contemnere, & Christi verba insulsiſſimo ductus arguento deprauare voluit.

Calvini
petulātia
singularis

15. Atten-